Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

hoc plus amatur. Constat enim plus amari hominem interiorem quam ex
teriorem. Unde hoc constat? unusquisque in se ipso probet. Quamuis enim qui male
uiuunt animos suos corpori addicant. uiuere tamen uolunt. quod
non est nisi animi. magisque se ipsos indicant qui regunt. quam illa que re
guntur. Regunt enim animi. reguntur corpora. Gaudet quisque uolup
tate. et capit de corpore uoluptatem. sed separa animum nichil
restat in corpore quod gaudeat. Et si de corpore gaudet. animus
gaudet. Si gaudet de domo sua. de se non debet gaudere? Et si
habet animus unde oblectetur extrinsecus. sine deliciis manet
intrinsecus? Omnino constat plus amare hominem animam suam quam
corpus suum. Sed et in alio homine plus amat homo animam quam corpus.
Quid enim amatur in amico? ubi est amor sincerior et castior. Quid amatur
in amico. animus an corpus? Si fides amatur. animus amatur. Si be
niuolentia amatur. beniuolentie sedes animus est. Si hoc amas in
altero quia et ipse amat te. animum amas. quia non caro sed animus amat.
Ideo enim amas. quia te amat. Quere unde te amet. et uide quid a
mes. Plus ergo amatur. et non uidetur. Aliquid etiam uolo dicere. ubi magis
appareat dilectioni uestre quantum ametur animus. et quemadmo
dum corpori preponatur. Illi ipsi lasciui amatores qui corporum pul
chritudine delectantur. et forma membrorum accenduntur. tunc amant
amplius quando amantur. Nam si amet et sentiat quia odio habetur. ma
gis irascitur quam diligit. Quare magis irascitur quam diligit? Quia
non ei redditur quod inpendit. Si ergo ipsi corporum amatores recla
mari se uolunt. et hoc eos magis delectat si amentur. quales sunt
amatores animorum? Et si magni sunt amatores animorum. quales sunt
dei amatores qui pulchros animos facit? Sicut enim animus facit decus
in corpore. sic deus in animo. Non enim facit corpori unde ametur
nisi animus. Qui cum migrauerit. cadauer horrescis. et quantumcumque
pulchra illa membra dilexeris. sepelire festinas. Decus ergo corpo
ris animus. decus animi deus. Clamat ergo dominus ut ueniamus et bibamus.
si intus sitiamus. et dicit quia cum biberimus flumina aque uiue fluent
de uentre nostro. Venter interioris hominis. conscientia cordis est.
Bibito ergo isto liquore uiuescit purgata conscientia. et hauriens
fontem habebit. etiam ipsa fons erit. Quid est fons et quid est fluuius
qui manat de uentre interioris hominis? Beniuolentia. quia